

XXXII. Haecenus dicta fat ostendunt, Officialium hodie-  
norum institutionem esse ævi recentioris, ac cum ipsis in tri-  
bunalia Ecclesiastica forensem modernum litigandi morem &  
strepitum intralæ; ipsiq; Ecclesiasticis Tribunalibus vene-  
rationis & existimationis multum ipsorum occasione deperi-  
isse; & Ecclesiasticæ jurisdictioni non parum fuisse detractum  
(uti infra tit. De instructione causarum latius demonstrabitur)  
nequaquam tamen ex iis concludi potest, Officiales esse ab  
Ecclesia reprobatos, aut Episcopos ipsorum operâ uti non  
posse.

Imo scitur, quod licet Ecclesia optaret, citra fori sæcularis  
strepitum, & forenses formulas Judicia Ecclesiastica agi, &  
quæstiones finire ad normam primorum sæculorum (uti infra  
videbitur) nihilominus quamdiu illud obtineri nequit, non im-  
probat, ut Episcopi negotiis majoribus occupati, Judicia foren-  
sibus Officialibus committant; ipsamque jurisdictionem per  
iplos exercent; ut supra parte 1. tit. 12. cap. 4. ostendimus,  
ubi speciatim De Officiali Episcopi actum fuit.

XXXIII. Illud hic addendum, Officialem esse hodie jurisdic-  
tionis Ordinariæ, quæ alias Episcopo competat, minitum;  
atque per Judicem Ordinarium vulgò intelligi hodie Officialem  
Episcopi, utpote qui vices Episcopi in exercitio jurisdic-  
tionis supplet: ideoque tribunal Officialis etiam est tribunal  
Episcopi. Unde & causæ referatæ cognitioni & jurisdictioni  
Episcopi, etiam per Officialem cognosci & judicari possunt,  
nisi nominatim declaratur, Episcopum per se de causa cognos-  
cere & judicare debere.

XXXIV. Ulterius quia Officiales vices Episcopi in mune-  
re judiciario suppleant, merito monet Concilium Narbonense  
anno 1609. cap. 42. "Officiales pro quibus rationem reddi-  
turi sunt Episcopi, ut officio fungantur hortentur sæpius, &  
cum illis agant de rebus civilibus criminalibus quæ in Curia  
ventilantur: ut qua fieri poterit meliori & expeditiori ratio-  
ne provideatur.

Mandat & ibidem Episcopis, ut eum per se jus dicere ne-  
queant, "personas idoneas, providas & in Jure Canonico ex-  
ercitatas in Officialibus eligant.

XXXV. Sed vel præcipue attendendum, ut in Officiales &  
Judices Ecclesiasticos eligantur, in quibus non sit avaritia, qui-  
que non cupiditate res temporales augendi, sed amore justitiæ,  
& pacis inter Fideles conciliandæ officium illud obeant: qui  
litium tricas & forenses litium strepitus averfentur; nec iis nisi  
coacti & amore justitiæ inducti se implicari sinant.

XXXVI. Qui denique ostendant, se non adversus homines,  
sed adversus vitia agere; neque homines, sed vitia persequi  
velle: ipsorumque delinquentium emendationem, non autem  
burfam querere: Non minus adversus vitia & scandala pau-  
perum, nihil in ære habentium, exurgere, quam divitum, quo-  
rum pingues vacca, & agri pleni.

Citatum Concilium Narbonense deplorat, quod "igna-  
tos Sacerdotes & pauperes pluribus vitiis deditos experire-  
tur & impunitos ad totius Cleri dedecus sciret, dum (ait)  
sumptibus adhiberi necessariis parcitur, ut tales puniantur."  
Deinde subjicit: "Promotores igitur etiam per officii suspen-  
sionem, & aliis Juris pœnis compellant, ut contra tales in-  
quirant, debitas pœnas requirant, atque ut justum ab Offi-  
cialibus de illis supplicium exigatur, Episcopi procurent: ut  
eos pœnae formido terreat quos virtutis amor non movet:  
sumptus verò non salaria solvent ipsi Episcopi, cum in talibus  
gratis agatur.

XXXVII. Quantopere vereretur S. Carolus, ne Officiales  
sive vicarii sui ducerentur in causis decidendis carne aut san-  
guine probat Decretum Concilii Mediol. V. parte 3. tit. De  
Episcopo. Episcopali jurisdic. &c. quo declarat "illud maxi-  
mè expedire, cum omnique ratione consentiens admodum  
esse, ut Vicarii Episcopales quoad ejus fieri potest alienæ po-  
tatis Diœcesis, quam illius sint, ubi commissum vicariæ curæ  
officii munus obire atque exequi debent." Rationem sub-  
jungit: "Scpe enim fit, ut cum Justitiæ quasi oculis tenebras  
cognatorum affiniumve illa innata vis offundat; tum gratia  
metuque eorum quibuscum vixerunt, vivendumque dein-

ceps est, etiam boni constantesque viri ab æquitate norma,  
rectaque via facilius deflectant.

XXXVIII. Et quia sciebat, facile in forum Ecclesiasticum  
abusum irrepere, nisi Episcopus sollicitè invigilet, statuit S. Car-  
olus in Concilio Mediol. III. parte 1. tit. De iis quæ ad Episco-  
pale forum pertinent: "Quotannis fori sui tribunal Episco-  
pus vilitet; inquiratque an præscripta fori ratio, an præfina-  
ta taxa servetur: tum præterea, an si quæ corruptela, si quive  
abusus irrepserint; an si quid denique vel institui vel emen-  
dari oporteat: idque sollicitè in primis curet, ut eripiantur  
abusus, tum restituantur quæcumque ad rectam Judiciorum  
formam attinent.

XXXIX. Denique sciens nihil adeo fori Ecclesiastici odium  
apud populum excitare, nihilque spiritui Ecclesiastico magis  
contrariari, quam si ex ipsa Justitiæ administratione tempora-  
lia quarantur, voluit in primis S. Carolus in Concilio Mediol.  
III. loco citato: "Nullum neque munus neque donum, ne-  
que cuiusvis generis xenia, ne esculentia quidem, poculentia-  
ve Vicarii ab iis accipiant, qui coram eis causas vel habent  
vel agunt.

Sed his, quæ omnibus Judicibus etiam Sæcularibus sunt pa-  
riter interdita, non contentus, declaravit in Concilio Mediol.  
V. loco citato: "Illud præter cætera munus Episcopi est, ut in  
suo Episcopali foro universis & singulis Jus gratis reddatur.  
Quamobrem præter id quod alio Concilio Provinciali de  
muneribus & donis cavimus, hoc Decreto statuimus, in or-  
dinariis causis nihil quidquam vel minimum, ne sportularum  
quidem nomine, nec à sponte etiam dantibus, aut ullo quo-  
vis modo à Judice illius fori accipi licere.

"Si quis acceperit, pœnam lege Julia repetundarum sanc-  
tam ipso facto subeat.

Quam denique curam adhibuerit S. Carolus, ut & integri  
minitri in tribunalibus Ecclesiasticis haberentur; causæque eâ  
integritate & Justitiâ expedirentur, quæ tribunal Ecclesiasti-  
cum decent, in sequentibus latius ostendetur; ac unâ dicitur,  
quod recta horum tribunalium institutio sit unicum medium  
conservandi & restituendi Jurisdictionem Ecclesiasticam.

CAPUT II.

De Judicibus Delegatis, & Synodalibus.

1. Quid iudex delegatus.
2. In quo distinguatur ab Ordinario?
3. Iudicium delegatorum usus præcipue circa sæculum 12. & 13. in-  
valuisse videtur.
4. Cur sub idem tempus multiplicari ceperint delegationes Pontifi-  
ciæ.
5. Plures Decretales circa officium & auctoritatem iudicum Dele-  
gatorum sub idem tempus edite.
6. Decretales penè solas delegatos Sedis Apostolicæ concernunt; &  
hodie aliorum rarus est usus.
7. Episcoporum Officiales non reputantur ut iudices Delegati; &  
quare?
8. Officiales jurisdictionem alius non delegant; sed tantum aliquam  
partem alius citra jurisdictionem committunt.
9. Pontifices iudices à se Delegatos haberi voluerunt, ut iudices à  
Principe delegatos.
10. Iudex à Principe datus poterat iudicem dare.
11. Hoc exemplo Pontifices declaraverunt iudices à se delegatos posse  
iudices dare.
12. Decretalis Alexandri III. de hac auctoritate.
13. Altera Decretalis in eam rem vulgò eisdem Alexandro attribui-  
ta.
14. Hanc Decretalem declaravit & exposuit Innocentius III.
15. Innocentius III. abrogata Novella Justiniani ab solvit suos Dele-  
gatos à necessitate interveniendi negotiis cum suis subdelegatis.
16. Non tantum concedit suis Delegatis auctoritatem dandi iudices;  
sed integram jurisdictionem subdeleganda.
17. Quo fundamento responderint Pontifices ab hujusmodi Subdele-  
gatis appellari non ad Delegantem, sed ad summum Pon-  
tificem.
18. Hodie receptum, Delegatum Pontificis adinstar Ordinarii posse  
jurisdictionem subdelegare.
19. Iudex à S. Pontifice delegatus potest etiam Episcopos subdelega-  
re; eosque compellere.

20. Jure Decretalium etiam simplices Clerici poterant à Sede A-  
post. delegari.
21. Bonifacius VIII. voluit tantum causas à S. Apostolica delegari  
habentibus Dignitatem aut personatum, aut Canonicis Cathe-  
dralium Ecclesiarum.
22. Quoad habentes personatum consuetudo constitutioni Bonifacii  
derogavit.
23. Decretum Concilii Tridentini circa personas à S. Apostolica ejusve  
Legatis & Nuntiis delegandas.
24. Concilium Trid. requirit in iudicibus delegandis qualitates à Bo-  
nifacio expressas.
25. Requirit insuper ut nominatim designentur in Synodis, inde dicti  
iudices Synodales.
26. Qui in dignitate constitutus iudex fuit delegatus potest delegatio-  
nem absolvere, tamen si Dignitatem dimiserit.
27. Ex dispositione Concilii Trid. cessat hodie Decretalis Alexandri  
III. declarans, successorem in dignitate succedere in delega-  
tione.
28. Hodie solent iudices Synodales designari extra Synodos à solis  
Ordinariis cum consilio Capituli.
29. Etiam subdelegati à Delegatis Pontificiis debent habere qualita-  
tes à Synodo præscriptas.
30. Hoc non procedit in delegatione ad aliquem particularem actum.
31. Ordinarius & eorum Officialibus causæ delegari possunt, licet non  
sint designati.
32. Hinc delegatio facta Ordinariis etiam hodie transit ad Successo-  
rem.
33. Iudex delegatus debet probare suam delegationem; & quidem  
in scriptis.
34. Imo procedere nequit antequam litteræ delegationis ipsi fuerint  
præsentata.
35. Hodie solet rescriptum delegationis litteris citatorialibus inseri,  
ut citatio de delegatione constet.
36. Delegatus tenorem suæ delegationis servare debet.
37. Plures ad eandem causam iudices jam pridem delegaban-  
tur.
38. Pluribus simpliciter delegatis unus sine altero procedere ne-  
quit.
39. Nisi alter alterum subdelegaverit.
40. Addit subinde clausula: Quod si non omnes interesse pos-  
sint aut valeant reliqui procedant; & quæ vis hujus clau-  
sule?
41. Clausula hæc erat conditionalis.
42. Interdum plures, sed singuli in solidum delegantur: quod & ho-  
die fieri solet.
43. Per præsentationem & acceptationem ab uno Delegatorum fa-  
ctam, non cessat totaliter aliorum delegatio.
44. Inconveniens videtur, ut hodie dentur iudices ad postulationem  
& arbitrium partis.

**J**udex delegatus dicitur, qui jurisdictionem  
vel cognitionem causæ habet ex delega-  
tione seu mandato alterius; eamque no-  
mine sive vice delegantis vel mandantis  
exercet. Unde dixit jam pridem Papi-  
nianus Jurisconsultus in L. 1. §. 1. ff. De Officio ejus cui  
mand. jurisdic. Qui mandatam jurisdictionem suscepit,  
propriam nihil habet, sed ejus, qui mandavit, jurisdictione uti-  
tatur. Et Ulpianus in L. 16. De Jurisd. omnium Jud. "Is  
cui mandata jurisdictionis est, fungitur vice ejus qui mandavit,  
non suâ.

II. Itaque Judex Delegatus distinguitur à Judice Ordina-  
rio: quod hic jurisdictionem habeat propriam; eamque suo  
nomine proprio exerceat. Delegatus verò quidquid pos-  
sideat & quidquid agat, possideat atque nomine alte-  
rius, & vices ejus suppleat, ejusque personam repræ-  
sentet.

III. Hæc jurisdictionis delegatio in forum Ecclesiasticum  
intralæ videtur; postquam forum hoc adinstar fori sæ-  
cularis regii coepit: hoc est, circa sæculum 12. & 13. Quod  
vel inde verisimile redditur, quod nec sub titulo De Rescrip-  
tis, neque sub titulo De Officio & Potestate Judicis Delegati  
in Decretalibus Gregorii IX. ulla reperitur Decretalis quæ  
habeat auctorem antiquiorem Alexandro III. qui demum  
sub finem sæculi 12. Pontificatum gessit: & quando ipsa tri-  
bunalia Ecclesiastica adinstar tribunalium sæcularium regi  
ceperunt.

IV. Cumque sub idem tempus causæ plurimæ, tum per  
appellationes (quæ tum in valecebant) tum per exemptiones  
Van Espen Jur. Eccl. P. III.

Capitulorum & Monasteriorum (quæ sub idem tempus ori-  
ginem & progressum habuerunt) aliisque pluribus titulis ad  
Romanum Pontificem devolverentur, quibus examinandis &  
discutiendis aut instituendis Pontifex non sufficiebat; imo nec  
Romæ, ob distantiam locorū è quibus probationes peti debe-  
bant, facile instrui poterant, necesse fuit causas plurimas aliis  
delegare: atque ita frequentissime esse ceperunt delegationes  
Pontificiæ.

V. Cum autem recens esset horum iudicum Delegatorum  
in foro Ecclesiastico institutum, plurima tum circa eorum au-  
thoritatem & officium difficultates ac dubia mota sunt: quibus  
elucidandis ac terminandis plurima Pontificum prodire res-  
ponsa & Constitutiones, præsertim Alexandri III. ac subse-  
quentium Pontificum.

VI. Et quidem omnes fere Decretales sub titulis De Re-  
scriptis & de Officio & potestate Judicis Delegati, tam in li-  
bris Decretalium Gregorii IX. quam in Sexto Decretalium  
pertinent ad elucidationem potestatis & officii Judicium à Se-  
de Apostolica delegatorum: qui & hodie frequentiores sunt:  
imò fere aliorum usus desit.

VII. Episcopi enim aliique Judices Ordinarii, si per se  
non judicent, aut jurisdictioni contentiose præfint, habent  
suos Officiales, qui licet vice aliena fungantur, nihilominus  
non pro Judicibus Delegatis; sed quasi Ordinariis reputan-  
tur: tamquam unum cum Ordinariis tribunal constituent. Quare  
ipsorum Tribunal reputatur pro Episcopali & Or-  
dinario, ut etiam monet Zypæus Tit. De Officio Jud. Deleg.  
num. 3.

VIII. Ulterius hi Officiales non solent aliis jurisdictionem  
delegare; sed tantum aliquam ejus partem Archipresbyteris  
aliive committere, puta ut audiant allegationes & rationes  
& attestations recipiant, ut loquitur Alexander in Cap. 7.  
De Potestate Jud. Deleg. in prima Collectione Decretalium,  
reservatâ sibi finali decisione causæ. Itaque & hic potissimum  
Delegatis Pontificiis agendum.

IX. Cum forum Ecclesiasticum eo tempore fere regetur  
legibus civilibus, etiam ipsi Judices delegati ad normam ear-  
undem legum instituti sunt: appareatque ex responsis & De-  
cretalibus Pontificum in Corpus Canonicum relatis, voluisse  
Pontifices, ut eorum Judices Delegati gauderent prærogati-  
vis, quas de Jure Civili Judices Delegati à Principe habent.

X. Imprimis Judici à Principe dato illud speciale fuit, ut  
Judicem ipse dare possit l. 5. Cod. De iudiciis ubi dicitur:  
"A Judice Judex delegatus, Judicis dandi potestatem non ha-  
bet: cum ipse Judiciario munere fungatur; nisi à Principe  
Judex datus fuerit.

XI. Hoc exemplo Pontifices etiam declaraverunt, suis Dele-  
gatis jus esse dandi iudices, tamen id denegatur Judicibus De-  
legatis ab Ordinariis.

XII. Imprimis Alexander III. in Cap. 7. De Officio & Po-  
testate Jud. Deleg. in prima Decretalium collectione apud An-  
tonium Augustinum, & refertur in parte decisa cap. 6. eod.  
respondit Episcopo Wintoniensi: "Innotescat itaque sollici-  
tudini tuæ quod Judex à nobis delegatus causam sibi com-  
missam potest aliis delegare, aut totam audiendam & termi-  
nandam, aut ut audiant allegationes & rationes, & attesta-  
tiones recipiant, & sententiam sibi ut referent, vel horum  
aliquid tantummodo faciant juxta voluntatem & beneplaci-  
tum delegantis.

XIII. Rursum sub nomine Alexandri III. in Cap. 18. eod.  
referatur responsum: "Si super causa, quæ tibi ex nostra dele-  
gatione committitur, à personis Ecclesiasticis, una vel pluri-  
bus, quibus (ut parcas laboribus partium & expensis) cogni-  
tionem ipsius causæ & testium examinationem (sententia ti-  
bi reservatâ) committas, appellatio fuerit interposita, hujus-  
modi appellationis intuitu causam ipsam definitam relinque-  
re non teneris.

Quamvis Emanuel Gonzales in notis ad hoc Capitulum,  
credat hujus Decretalis Auctorem non fuisse Alexandrum III.  
sed Lucium III. certum tamen est, quod Innocentius III. ejus  
Auctorem crediderit fuisse Alexandrum III.

Innocentius enim respondens Archiepiscopo Cantuariensi in *Cap. 27. eod.* "Per Constitutionem nostram consultationi *Alexandri* Papæ nullatenus derogatur, sed illa per istam, exponitur, imo in ista veritas, quæ in illa fuerat prætermilla, suppletur," evidenter ad citatam Decretalem reflectit, ut ex sequentibus verbis manifestum est; & ipse Gonzales in notis ad hoc Capitulum fatetur.

XIV. In hac Decretali aperte declarat Innocentius: "Intentionis nostre fuit (sicut ex tenore Constitutionis præmissæ potest liquide deprehendi) quod ut judicialis auctoritas liberius valeat exerceri, delegatus à nobis licite possit, & principium, & finem, & medium causæ sibi committat, non solum conjunctim, sed etiam divisim alii delegare, non obstante, quod dicitur, quod iudex debet cognoscere per se ipsum in principio, in medio, & in fine: cum antequam ferat sententiam universa quæ acta sunt in iudicio, investigare debeat diligenter.

XV. Per hanc clausulam, *non obstante quod dicitur* &c. alludi ad Novellam 60. Justiniani Imp. notavit vir Eruditus Franciscus Florens in Commentario ad tit. Decret. *De Offic. & Potest. Jud. Deleg.* in qua Novella Justinianus nominatim interdixit Judicibus à se delegatis, ne suis Assessoribus vel Consiliariis, neque principium, neque medium, neque finem committerent; sed ipsi per se in omnibus litis partibus unà cum suis Assessoribus vel Consiliariis adessent vigilantibus. Ab hac igitur necessitate Judices à se delegatos hic absolvit Innocentius; quod & Glossographus notavit, verbo *In principio*: notans insuper, quod secundum Leges tantum suis Consiliariis committit iudex examinationem, ut in dicta Novella; secundum Canones committit cuicumque vult, *Cap. PASTORALIS 28. eod.* Quod est etiam Innocentii III.

XVI. Ulterius cum juxta Leges tantum permittatur Judici à Principe delegato iudicem dare, ipse Innocentius declaravit, Judices à se delegatos posse non tantum Judices dare, qui ex dispositione Juris Civilis tantum simplicem notionem, non autem jurisdictionem habebant, sed posse omnimodam & plenam jurisdictionem alteri committere, sive subdelegare: quod præter rationem Juris Civilis inductum esse notavit & pluribus probavit Franciscus Florens loco citato.

XVII. Adhæc notat ibidem Florens quod ubi Pontifices contra Juris Civilis rationem intruderunt iudicem à se delegatum posse integrè jurisdictionem alteri delegare sive subdelegare, conformiter ad alia Juris principia responderint, appellari ab huiusmodi subdelegato non ad Delegantem, sed ad Summum Pontificem; juxta *L. 1. ff. Quis & à quo appellatur*: ubi dicitur, à iudice dato provocandum ad eum qui dedit, sed ab eo cui mandata jurisdictionis, non is provocandus sit qui mandavit, sed is qui provocaretur ab eo, qui mandavit.

XVIII. Interim ex hoc Innocentii responso, aliisque subsequentium Pontificum consensibus responsis receptum est, Delegatum Pontificis jurisdictionem vel in totum, vel in parte, posse delegare, atque hac in parte potior esse Delegatis Ordinariis, imo quasi Ordinariis reputari.

XIX. Hæc potestas Judici à S. Pontifice delegato idcirco delata est, quia ex persona & vice ipsius Pontificis cognoscit & iudicat, ipsiusque personam in hoc iudicio representat: ideoque & eidem permittitur, ut Superiores ac Prælatos, imo & Episcopos subdelegare, & si necessitas exigat, compellere possit; quin & sententiarum executionem eisdem demandare: eò quod in hac causa tamquam Pontificem representans, reputetur major & superior Ordinariis: ita tamen ut in coactione modum servet, & dignitati deferat & personæ *Cap. 11. De Offic. Jud. Deleg. & Cap. 2. eod. in 6.*

XX. Jure Decretalium nullæ speciales qualitates expressæ repertiuntur circa personas iudicem delegandorum à Sede Apostolica; sed quilibet etiam simplices Clerici eo jure delegari poterant, pluraque exempla huiusmodi delegationum occurrunt.

XXI. Cum autem id in depressionem Sedis Apostolicæ

& Ordinariis, quibus hi Delegati superiores esse prætendebant, cederet, Bonifacius VIII. in *Cap. STATUTUM 11. De Rescript. in 6.* "fancivit, ut nullis nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum, Cathedralium Canonice, causæ auctoritate litterarum, Sedis Apostolicæ vel Legatorum ejus, de cætero committantur.

XXII. Quæ beneficia sint hodie dignitates, ac pro talibus reputentur, videri potest supra *parte 2. tit. 18. cap. 2.* ubi unà notatum fuit, Personatum hodie ferè inter simplicia Beneficia reputari; unde & Zypæus *Consult. 1. De Offic. Jud. Deleg. num. 14.* observat quod licet Bonifacius hic locarit habentes Personatum inter Dignitates & Canonicos Cathedralium, nullum tamen hic viderit designatum in iudicem, nisi & alia qualitas ei competierit.

XXIII. Synodus Tridentina considerans, "quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ mandantur, usque adeo haberi non potest, hincque interdum, iudicibus non undequaque idoneis causæ in partibus delegentur, statuit *Sess. 25. cap. 10. De Reformat.* in singulis Conciliis Provincialibus aut Diocesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant, juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit, *Statutum*, & alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur. Et, si alium quem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram Provinciam aut Diocesanam Synodum: ita ut habeat quæque Diocesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas, ac ut supra qualificatas, quibus huiusmodi causæ à quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur: alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quæcumque aliorum iudicum aliis, quam his factæ, surreptitæ censentur.

XXIV. Vult ergo imprimis Synodus, ut iudices quibus in partibus causæ delegantur à Legatis vel Nuntiis, atque etiam à Sede Apostolicæ, habeant qualitates expressas in citata Constitutione Bonifacii VIII.

XXV. Verum ultra has qualitates requirit Synodus, ut ex personis illis quæ dictas qualitates habent, aliquæ nominatim designentur in Conciliis Provincialibus aut Diocesanis, quibus & non aliis, posthac causæ Ecclesiasticæ ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Unde juxta Decretum Synodi non sibi dicit, quod quis sit in dignitate constitutus, ut causæ ei delegari queant; sed requiritur insuper, ut sit ad id officii speciatim designatus seu nominatus.

Et quia secundum Synodum Tridentinam hæc nominatio deberet fieri in Synodis Provincialibus vel Diocesanis, solent personæ ad hoc munus electæ vocari hodie iudices Synodales, quasi à Synodo designatæ sint in iudices.

XXVI. Ut designari queant, requiritur quidem ut qualitates à Bonifacio VIII. requisitam habeant: sed si constitutus in dignitate fuerit in iudicem Synodalem designatus; ipsique causæ aliqua delegata fuerit, si postmodum eam dignitatem resignaverit, posse nihilominus in causa illa pergere, post alios notat Stephanus Weymsius in *Analyti ad Constitutionem I. inter 24.* Constitutiones per Concilium Tridentinum innovatas. Quia propriè non est ipsa dignitas ac Canonatus Ecclesiæ Cathedralis, quæ personam ad iudicandum aptam reddit; sed ideo requirit Synodus eam qualitatem, quod magis de capacitate harum personarum ex dignitate quam obtinent præsumatur: quæ præsumptio nullatenus diminuitur, tamen si qualitas illa postmodum illis adimatur, atque hoc casu verè ac propriè accipi possunt hæc Synodi Trid. verba: *alioquin ad id aptas*, cum satis reperitur apta persona, quæ semel apta

apta fuit, nec aliquid, quod ad aptitudinem in iudicando conducit, amittit.

XXVII. Necessitas designationis faciendæ in Synodis Provincialibus aut Diocesanis facit, ut hodie cesset Decretalis *Alexandri III. in Cap. 14. De Offic. & Potest. Jud. Deleg.* qua deciditur, Successorem in Dignitate succedere in delegatam jurisdictionem, quæ facta est sub nomine Dignitatis, & non personæ nominatim expressæ. Nam non sufficit, ut supra monuimus, ut quis dignitatem habeat ratione cuius Prædecessor fuit electus in iudicem Synodalem; sed necessaria est specialis designatio personæ.

Principia Synodus expressè declarat, "si aliquem interrim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram Provinciam aut Diocesanam Synodum: quibus clarè innuit, successorem in dignitate nequaquam suo jure in hoc munus suo Prædecessori succedere; sed opus esse nova designatione.

XXVIII. Et quidem cum hodie rarum admodum Synodi celebrentur, passim usu invaluit, ut Ordinarii de consilio Capituli iudices Synodales designent; quibus & non aliis causæ in partibus delegandæ committantur.

XXIX. Nec tantum Nuntii & Legati Apostolici restringuntur in sua delegatione ad personas juxta præscriptum Synodi Trident. designatas; sed & ipsi Delegati, si subdelegare velint: cum Delegatus non debeat melioris conditionis censeri, quam Delegatus; uti rectè advertit Weymsius loco citato *num. 20.*

XXX. Hoc tamen intelligendum de Subdelegato ad plenam cognitionem & decisionem causæ. "Negari enim non potest, quin (ut rectè notat Weymsius *num. 21.*) ad unum aliquem particularem articulum subdelegari rectè possit is, qui dignitatem non habet, dummodo de cætero sit idoneus & legalis: puta ad testium examinationem; ad instrumentorum collationem, vel ad alium similem actum. Et cum per talem Subdelegationem tota jurisdictio Apostolica non transferatur; imò possit talis articulus expediri absque ulla causæ cognitione, non immerito tolerantur in exercitio illius etiam simplices Clerici, ac personæ privatæ, quæ nullam habent dignitatem. Quod ipsum usus & fori praxis quotidiana testatum faciunt.

XXXI. Advertit Zypæus in jure novo *tit. De Off. Jud. Deleg. num. 3.* quod Synodus Tridentina dumtaxat requirit designari in Conciliis Provincialibus aut Diocesanis personas, quibus præter Ordinarios causæ in partibus delegandæ committantur: adeoque ipsis Ordinariis (sub quibus & Officiales Episcoporum comprehenduntur) causas posse delegari absque specialis designatione.

XXXII. Ex quo ulterius conficitur, quod delegatio facta Ordinaria sub qualitate Ordinarii transeat ad successorem juxta citatam Decretalem *Alexandri III.* quia hic sufficit sola qualitas Ordinarii, quæ in successore reperitur. Itaque si Ordinarii sub qualitate Ordinariis non expressis nominibus propriè facta sit delegatio, indubiè hæc ad successorem transibit: quemadmodum Ordinarii sine ulla speciali delegatione procedunt tamquam Delegati Sedis Apostolicæ in omnibus illis causis per Synodum Tridentinam tamquam Delegatis Sedis Apostolicæ sunt commissæ: de qua delegatione latius agitur infra titulo *De Exemptionibus.*

XXXIII. Ut quis possit jure specialis delegationis procedere, debet ante omnia delegationem probare; neque fides adhibenda dicenti se delegatum, nisi probet se delegatum; uti docent Canonistæ ad *Cap. CUM JURE De Off. & Potest. Jud. Deleg.*

Imo sicuti mandatis Principum, quæ quis se habere asserit, credi non debet, nisi scriptis probaverit *L. 1. Cod. De Mandatis Principum*; ita nec delegato credendum, nisi litteris suam probaverit delegationem; & ostendit Fagnanus ad citatum *Cap. CUM IN JURE num. 7. & 8.*

XXXIV. Quin ex communi Doctorum sententia, iudex delegatus ad exercitium sui jurisdictionis procedere ne-

quit ante præsentatas litteras delegatorias, uti multis relatis probat *Salgado De Protec. Reg. parte 4. cap. 6. num. 60.* ubi & *num. 26.* asserit id procedere, etiam si sciat, facultatem sibi competere, sed nondum sint litteræ præsentatæ. Conformis est hodie ma praxis. Qui enim in causa appellationis impetravit à Nuntio Apostolico rescriptum delegatorium, illud iudici Synodali, cui rescriptum dirigitur, præsentat; nec ante ejus sibi factam præsentationem & acceptationem officium iudicis aggreditur.

XXXV. Post acceptationem juxta litteras delegationis procedit: & si partem adversam citet, ipsis litteris citatorialibus copiam rescripti Apostolici inserit; ut ex ipso rescripto probetur ipsi citato auctoritas citantis conformiter ad opinionem Glossæ in *Can. SI EPISCOPUS caus. 3. quest. 2. verbo Convocari*, ubi dicit: "Item non valet citatio si rescriptum Apostolicum non inseritur.

XXXVI. Litteræ delegationis non tantum necessariæ sunt, ut delegationem suam Delegatus probare queat; sed insuper ut ex earum tenore auctoritatem & potestatem suam metiri possit: Nam ut ait Pontifex in *Cap. 21. De Offic. Jud. de leg.* "Mandati siquidem fines excedere probaretur, si quis citra formam rescripti accepti præsumeret iudicare." Unde delegatio ad certas personas, aut articulos extendi nequit, sed termini delegationis servandi *Cap. 40. eod.*

XXXVII. Sicuti Jure Civili in una eademque causa sæpius plures iudices dabantur *L. 76. ff. De iudic.* ita & Pontifices causas frequenter pluribus iudicibus delegare soliti fuerunt; *Cap. 21. eod.* ubi dicitur: "Illa quippe fuit antiqua Sedis Apostolicæ provisio, ut huiusmodi causarum recognitiones, duobus, quam unis, tribus, quam duobus libentius delegaret; cum (sicut Canones attestantur) integrum sit iudicium, quod plurimorum sententia confirmatur. Mandati siquidem excedere fines probaretur, si quis circa formam rescripti accepti præsumeret iudicare.

XXXVIII. Et quidem si simpliciter plures delegati sint iudices, unus sine altero procedere nequit *Cap. 16. eod.* Quia (ait Pontifex) cum causæ duobus committitur, sententia unius non tenet.

XXXIX. Hoc tamen fallit, si unus alteri causam subdelegaverit *Cap. 6. eod.* quia hanc subdelegandi auctoritatem à Jure habet; adeoque necesse non est, ut hæc ei per Rescriptum delegationis detur, uti notat Glossa ad dictum *Cap. 6.* quod Jure Civili non licebat. Nec enim iudex datus alterum subdelegare poterat, sed cogebatur ipse iudicare. Iudicandi enim munus erat personale, uti monet Franciscus Florens ad titulum *De Off. Jud. Deleg.*

XL. Cum autem sæpe contingeret, ut pluribus datis iudicibus, unus eorum vel interesse nollet, vel non posset; atque ita lites expediri non possent; ceperunt Pontifices, ut facilius lites expedirentur, in suis rescriptis addere hanc clausulam; *Quod si non omnes interesse velint, aut possint, reliqui in negotio procedant; vel duo aut unus ex illis procedat*, dicto *Cap. 21. 23. & 30. eod.* in quibus dictarum clausularum vis explicatur. Et quidem in *Cap. 21. §. 1.* dicitur, quod si clausula tantum exprimat, *si interesse nequiverint*, & unus ex ipsis cum possit, noluerit interesse, reliqui nihilominus possint procedere.

XLI. Ulterius ostenditur in citatis Decretalibus, quod cum prædictæ clausulæ sint conditionales, si interesse non possint aut nolint, non posse reliquos procedere vel uno tantum neglecto; sed opus est, ut ante constet litteratorum, sive in scriptis eum interesse non velle, vel non posse.

XLII. Quod si non conditionaliter, sed purè & absolute ita clausula fuerit concepta; *ut omnes aut duo, vel unus sine altero procedat*, ipsorum quilibet liberè poterit in causa procedere non expectatis consensibus cæteris. Censentur enim hoc casu omnes & singuli in solidum delegati. Quæ formula proponitur in *Cap. 8. De Off. Jud. Deleg.* estque hodie frequentissima.

Solent enim passim à Nuntiis hic in Belgio designari tres iudices, idque cum clausula, ut eorum quilibet, cui